

PRIMA

MVSARVM IN MVSAGETAS  
SYMPATHIÆ

DVCENS STAMINA,

VIRO,

PER-MAGNIFICO, GENEROSO, MAXIME  
STRENVO, ATQVE AMPLISSIMO

DOMINO

DNO. CAROLO  
CHRISTIANO  
LANGE,

CONSVLI

SOLERTISSIMA ÆRARIÏ PVBL. ET REI ECCLESIASTICÆ CVRA

MAXIME HACTENVS INCLYTO,

PRÆ-CONSVLARIBVS  
HONORIBVS

A

SENATV PER-MAGNIFICO

A. S. R. MDCCLIV. D. XXVII. MARTII  
SOLEMNI RITV

COLLATIS,

PVBICAS INTER CIVITATIS GRATVLATIONES,

CASTALIDVM ELBINGENSIVM


APERIT

SYMPATHIAM,

CLIENS HVMILLIMVS

M. JACOBVS WOIT,

PROF. ORD. MATHES. GEOM. JVR. ET CALENDARIOGR. GED.



ELBINGÆ

LITTERIS PREUSSIANIS.



Quis vel crederet?

Est & *Musis Sympathia.*

Ast

non *Anilis:*

*Ipsis*

de meliore luto finxit præcordia Præses.

Nec *Physica:*

Provocasse pudet

*Apollinis progeniem*

ad qualitates occultas non magis quam ad spiritum mundi universalem.

Nec *Medica:*

Abfit!

falcem in alienam immittant messem.

*Moralem dicam?*

inclinationum innixam harmonia:

De illo nondum satis mihi convenit.

Sed,

quocumque demum hæc veniat nomine:

Est *Sympathia Pieridum Choro.*

Fata

qualia qualia demum suis obveniant Protectoribus sibi vendicant.

Vigent vigente, florent florente

Reipublicæ Statu:

Pavent pavente, periclitantur periclitante

Patria Communi.

Miscent gaudia gaudiis publicis,

luctus luctibus communibus.

Scriptis perennant

*Gratulationes æque ac Threnodia,*

quibus

Mæcenates prosequuntur demississime.

Verbo:

Videres *Castalidum decus sororum*

modo

lætantes, jubilantes, tripudiantes,

modo

tristantes, plangentes, ejulantes,

prout

Nutritoribus Suis

vel

fortuna sereno radiat lumine,

vel

novercæ instar sese exhibet.

En!

Genuina *Sympathia* indoles,

*Palladii Drusici Inquilinis* in universum omnibus & singulis propria.

Veniunt in partem,

sive læti, sive tristes Municipio Nostro immineant casus:

Virent virente Reipublicæ Nostræ Statu,

languescunt languescente Eodem:

Nova subinde capiunt incrementa,

Urbis crescente flore;

sua sentiunt decrementa, ex Patriæ decrementis.

Brevi:  
Gaudent gaudentibus, lugent lugentibus Civibus.  
At vero,  
Sacro & venerabili Musagetarum Ore *Musarum* trahitur *spiritus*.  
Lætantur in sinu,  
de Patrum Patriæ certi salute:  
Subtristantur.  
Eorundem vacillante valetudine:  
Vota pro Illorum vita nuncupant devota;  
haud tamen  
*Pulvere sympathetico* illam prolongare allaborant.  
Edunt  
modo plausus, modo lessus:  
Lessus  
Palinuris Patria Navi orba experientissimis, meritissimis;  
Plausus  
Novis ad Gubernacula Republicæ admotis Gubernatoribus.

Proh dolor!  
Legit hæctenus Natalitium Nobis solum,  
*Epicedia*  
Tantum Drusidos Atlantum Cippis  
*a Camoenis Elbingensibus*  
inscripta.  
At  
jubent jam Fata sistere *Tbrenos*,  
lætioraque sperare fata.  
Satis jam tergis nivis & diræ  
grandinis misit Pater & rubente  
dextra Sacras jaculatas Arces  
terrui Urbem.  
Pangite, inquit, nunc *Jubila!*  
Viduata hucusque Sacri Collegii pulvinaria novis jam superbiunt  
Patriæ Patribus.

Nec  
desides *Musæ* ad hoc celeusma:  
Novas eorum resumit vires *Sympathia*,  
atque  
omnibus incedentes lætitiis, lætis cuncta complent *Acclamationibus*.

TIBI quoque

VIR

PER-MAGNIFICE, GENEROSE MAXIME STRENVE  
atque AMPLISSIME,  
gratulabunda *Musarum* nunc affurgit  
*Sympathia*.

Et,

quid ni affurgat?

Agnoscit

MVSAGETAM

& antiquum & novum.

Antiquum,

antiqua non antiquata in se animatum

*Sympathia*:

Novum

novis Dignitatum & Autoritatis Honoribus exornatum.

Habuerunt

TE

in Consulatu

Ærarij Publici Curis districtum

&

Commercium Patrium aquæ ductus cataracta ab interitu vindicantem;

*Parnassi Drusiaci*

& Restauratorem & Exornatorem.

Verum,

Quem non habebunt

in Præ-Consulatu,

&

summis Civitatis Honoribus

&

Regiæ Dignitatis exornatum Fastigio.

Ex planta pedis Herculis sVI staturam dimetiuntur

*Muse.*

Capesse itaque

VIR GENEROSE,

felici sub sidere,

dignissimum Virtutis & Industriæ TVÆ præmium,

gubernante DEO,

eligente Magistratu,

applaudente Civitate,

gratulante Athenæo

TIBI

jam

collatum.

Aggredere

labores in honore,

honorem in laboribus.

Ostende

in consiliis robur, in robore prudentiam, in prudentia constantiam, in  
constantia industriam, in industria felicitatem.

Juvabit

TE

in hoc ipso

incentiva *Libethridarum Sympathia*,

ardentissimas

pro

TVÆ Familiæque Splendidissimæ salute

cælum versus,

fundentes preces & vota.

TV

modo

MVSAGETA PER-MAGNIFICE,

serena excipe fronte

*Sympathiam Musarum* haud fucatam,

atque

pristina,

id quod veniunt exoratum submississime,

*Illas* postac dignare

*Sympathia.*

